


B. 73.



FRIDERICI BOERNERI

ARTIS SALVTARIS DOCT. IN ACADEMIA CAESAREA NAT.
CVRIOS. ET SOCIETATE DVCAL. TÉVTONICA
HELMSTADIENSI SODALIS

DE
VITA MORIBVS MERITIS
ET SCRIPTIS
HIERONYMI
MERCVRIALIS
FOROLIVIENSIS
COMMENTATIO

ACCESTIT

DVPLEX EIVSDEM ELOGIVM

ALTERVM

IAN. NIC. ERYTHRAEO

ALTERVM

LAVR. CRASSO

AVCTORIBVS

BRVNNSVIGAE
STANNO KEITELIANO
A. MDCCLI.

HEDERICI BOTTERI

ALIAS CALVATIAE DOCT. IN ACADEMIA QUESWAE
CIVICIS ET SCOLASTICIS DUCUM TUTTOMAG
HEDERICI BOTTERI

MORIA MORTIS
MORIA MORTIS
MORIA MORTIS
MORIA MORTIS
MORIA MORTIS
MORIA MORTIS

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

VIRO
SVMME REVERENDO AMPLISSIMO
DOCTISSIMO
D O M I N O
CHRISTIANO AVGUSTO
CRVSIONE
SANCTAE THEOLOGIAE LICENTIATO
EIVSDEMQUE
PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
MVNVS
THEOLOGIAM ORDINARIE DOCENDI
CLEMENTISSIME NVPER
IPSİ
DEMANDATVM
SVMMOSQUE IN EADEM
HONORES
HODIE D. XXIX. APRILIS A. MDCL.

AN

A 2

IN

IN

ACADEMIA LIPSIENSIS

QVAM

MERITIS DOCTRINAQUE ORNAT
RITE CONSEQUVTOS

EX

SINCERI GRATIQVE ANIMI

GRATYLATVR

D. FRIDERICVS BOERNER.

VIR

S A

VIR
SVMME REVERENDE ATQVE DOCTISSIME,
FAVTOR ATQVE PRAECEPTOR
OMNI RELIGIONIS CVLTV AETERNVM
PROSEQVENDE,

Quod diuum olim PAVLVM, sanctum illum OPTI-
MI NOSTRI SERVATORIS apostolum,
Ebraicis suis p̄aecepisse legimus (a), quod scilicet
eorum, qui eis praefuerint diuinamque ipsis exposuerint
doctrinam sedulo meminerint; idem etiam illud, non HIP-
POCRATEM solum discipulis suis inculcasse videmus, ita,
ut iuramento etiam obstringere se debuerint, p̄aeceptorem,
qui eos artem docuisset, parentum loco habituros, viatum
communicaturos eaque quibus opus habuerit grato ani-
mo impertituros (b) hoc est, grata semper veneraturos esse
A 3 recor-

(a) Epist. ad Ebraeos XIII, 7.

(b) vid. Iusinandum statim ab ini-
tio. Vbi verba haec sunt:
ἡγίστασαι μὲν τὸν διδάξαν-
τα με τὴν τέχνην τεսτην

ἴσα γενέτησιν ἐμοῖσιν, καὶ
βίσ ποιώσαθαι, καὶ χρεῶν
χειρίσονται μετάθοσιν ποιή-
σαθαι, τάντας scilicet θεοὺς
όμνυμι.

recordatione: verum et cuiuslibet ingenii hominis esse officium, doctores suos atque magistros, a quibus artes scientiasque accepit, pio colere animi cultu, quis quaeso, qui sanguinem habet synciput, est, qui neget? Hi enim, a quibus accepimus, quo opitulari aliis, seruareque mortales possumus; hi, qui principes studiorum existiterunt, qui vivere nos docuerunt, fructus etiam studiorum vitaeque a nobis repetere prope suo iure debent. Itaque TE non mirari arbitror, VIR PRAESTANTISSIME, si qualemcumque hanc commentationem, hodiernis TVIS, quos ex merito consequeris, honoribus, munericque sacro, clementissime TIBI ab Indulgentissimo nostro FRIDERICO, semper AVGVSTO, nuper demandato, dicatam, a me profectam esse prospexeris, qui olim ab ore Tuo doctrinissimo pependi, et Philosophiae senioris praecepta in solidis Tuis accepi praelectiobibus.

Quoties enim modocunque Lipsiae meae memini, et quotidie memini, quotiescumque praeteriti mens mea respicit temporis spatium, superiorumque annorum recordatur memoriam, toties etiam TVI, TVAEque doctrinae

gra-

grata semper subit me recordatio, atque, cum re ipsa non
possim, tamen ut animo erga TE semper gratissimo esse,
impellit, eundemque publico aliquando confirmem testimonio,
saepius saepiusque excitat. Quare, cum audirem TE ho-
die in Academia Lipsiensi, quam dudum ore scriptisque or-
nasti, cuiusque in sanctiori disciplina doctoribus publicis
REX noster clementissimus nuper TE annumerauit, sum-
mis in Theologia ornari honoribus; imperare mihi non po-
tui non, quin, quod dudum in votis habui, tandem aliqua
ex parte persicerem publicumque TIBI hoc praestarem offi-
cium. Et munus igitur, et honores, quibus ornatus es, ex animo
TIBI gratulor, summumque et praepotens Numen oro rogo-
que, ut prospera semper et ex omni parte perfecta frui queas va-
letudine: Seruet TE DEVS diu diuque saluum et incola-
mem: Beet TE omnibus ex alto ad persicenda negotia graui-
fissimaque, quae ornas, munera, viribus: Secundet omnes
Tuos conatus, annuat ceptis, IPSEque, quos in purioris
christiani coetus commoda, et Academiae Lipsiensis omnisque
rei literariae incrementa, suscipis labores, clementissime diri-
gat. Hoc enim summum votorum meorum est fastigium, hoc
optant

*optant omnes boni, hoc qui TE norunt, quique, quibus
nostra aetate opus est ecclesiae viris, sincero animi precan-
tur affectu.*

TV vero, VIR PRAESTANTISSIME, si
permiserint grauissima Tua negotia, a sanctioribus Tuis
literis auertas quaejo paululum oculos mibique MERCV-
RIALIS veneranti cineres fauens benignusque adsis specta-
tor, memet ipsum vero, si dignus fuero, in posterum ami-
citia Tua, fauoreque ornare perseuera. Scribebam Wolzen-
buteli d. XXIX. Aprilis A. MDCLLI.

DE



DE
VITA MORIBVS MERITIS
ET SCRIPTIS
HIERONYMI MERCVRIALIS
FOROLIVIENSIS
COMMENTATIO.



Cum de ALEXANDRI BENEDICTI, *Veronenfis*,
Medicinae elegantioris post barbara illa olim se-
cula restauratoris, vita meritisque aliqua nuper
pro virium modulo differens, gratiam apud ae-
quos lectores quosdam iniuiisse me intelligerem;
via hac interdum pergere, memoriamque Medicorum pristini
illius aei*u* ingenii doctrinaeque laude illustrium, eorumque
inprimis, quos strenuos simul humanitatis literarum veneramur
vindices atque amatores, diuersis renouare speciminibus, sta-
tim cepi consilium. Itaque de HIERONYMI MERCVRIALIS,
qui p*rae*clarum medicos inter, seculis superioribus, adeptus
est nomen, commemorabili cum maxime vita, rebusque p*rae*-
clare

B

DE VITA MORIBVS ET MERITIS

clare gestis et eruditissimis scriptis, pro eo, ac par est, in praefenti exponemus. (a)

HIERONYMVS MERCVRIALIS genus suum ex illustri et antiqua stirpe beneque de republica merita duxit. Pater ipsi fuit *Ioannes Mercurialis*, mater vero *Camilla Pungerda* (b) ambo vitae et morum integritate inter suos longe speciatissimi.

Patriam habuit *Forum Liuii*, satis celebrem in Umbria urbem, inque hac natus est die XXX. Septembri, qui S. Hieronymo in fastis ficer est nostroque nomen dedisse dicitur, tricesimo supra millesimum et quingentesimum anno.

Prae-

(a) Ex eorum, coetu, qui de vita MERCVRIALIS exposuerunt, quorumque ingens satis est numerus, cum plerique omnes, qui cum generatim illustrum doctrinariae claram virorum, tum speciarum arti Asclepiadeae addistorum, elegia, vitas, historiasque scriperunt, bene de illo meriti fint, legi merentur: LAVR. CRASSO *Elogii d' Huomini Letterati in Venet.* 1666. Tom. II. p. 41. cuius verba, cum liber eius non in omnium versetur manibus, in calce Commendationis adiicienda operaे premium putau. ANT. TEISSIER. *Eloges des hommes Savans, etc.* Leyd. 1715. Tom. II. p. 359. sqq. GIROLAM GHILINI *Teatro d' Huomini Letterati. Venet.* 1647. Tom. I. p. 123. IAC. PHIL. THOMASINI *Illustr. Viror. Elogia.* Patav. 1630. Tom. I. p. 155. IO. GEORG. SCHENCKII *Bibliotheck med.* p. 234. GEORG. ALE-

MERCKLINUS in *Lindenio renovato* p. 424. sqq. THOM. POPE. BLOUNT in *Cenfura Celeberr. Authorum Geneu.* 1694. qto p. 800. sqq. FREHERI *Theatr. Viror. Doct.* p. 319. JAN. NIC. ERYTHRAEVS, (vel suo nomine dictus IOH. VICT. ROSCIVS, de quo STOLLE in *Anmerk. über Heumannii Conspl. Reipubl. Liter.* p. 369) in *Pinacoteca imagin. doctr. vel ingenii viror. Guelpherb.* 1729. t. p. 149. NICEERON. *Memoires pour servir à l' Histoire des hommes illustres Tom. XXVI.* Paris 1734. p. 17. sqq. G. STOLLE in *Anmerk. über Heumannii Conspl. Reipubl. Lit.* p. 265. IDEM in *der Historie der Gelahrtheit*, p. 71. et in *der Anleit. zur Medecin. Gelehrte. Hist.* p. 202. sqq. C. W. KESTNER im *Medicinalischen Gelehrten Lexic.* p. 540. aliquę plures.

(b) Hanc solus nominat NICEERON. in *Commentar. 1. c. pag. 170*

Praeclara virtutis indole felicissimoque, nisi diuino plane, a benefica natura praeditus ingenio MERCVRIALIS, postquam ephesus factus, in Gymnasium Pataquinum, eorum omnium, quibus gloriatur Italia, nobilissimum facile celebratissimumque se contulit, eo quidem consilio, vt, cum plus quam vulgus saperet, artibus ingenuis omnique liberali doctrina animum imbueret; quibus quippe votis felix etiam respondit successus. Quamuis enim, quo potissimum praceptor, (c) quibusque usus fuerit ducibus in studiorum cursu, memoriae non proditum sit; hoc tamen, quod maximae ipsi cedit laudi, relatum legimus, talem se hic praefitissime, qualem sperabant omnes boni, qualemque et ipse hic locus mutus, cui aliquando praeesse deberet, expetabat. Hinc cum iis potissimum, quae ad humanitatem pertinent, artibus scientiisque et linguis necessariis, philosophiae itidem praceptoribus bene esset praeparatus, ad artem medicam, quae omnium scientiarum humanarum regina, conseruatrixque mortalium, an ob iucunditatem, dignitatem aut utilitatem et praestantiam, dubius haereo, ad se eum inuitauit, animum appulit, tantosque breui tempore, non quidem tam assidua industria, quam docili potius ingenio in ea fecit progressus, vt summis in Philosophia et Medicina honoribus, Doctorisque titulo naectis, multiplici que ornatus doctrina, ad patrios lares redire posset.

Huc cum venisset, in eo potissimum fuit, vt tum acquisi-
tae sibi in re medica doctrinae copiam in publica exponeret
luce, fructusque eius ferret dudum meritos; tum etiam, via,
qua ceperat, strenue pergeret, et a medicorum vulgo quam
longissime se segregans elegantiori operam daret medicinae,
hincque quae, vt supra monuimus, in Graecae Latinaeque lin-
guae cognitione didicerat, ad ornandam amplificandamque
scientiam medicam traduceret, ex fontibus biberet; antiquos
artis

(c) Nisi quod ipse in Epistola ad *Giu-*
landinum infra nominanda, *Gabrie-* le Falloppio duce medicinam se di-
dicisse testetur,

artis auctores, COVM in primis, Galenum *Celsumque* legeret, omnique omnino modo ad futura, quae praefagi ente animo praeuidebat, aptum se redderet munera.

Itaque in exercenda publice que profitenda arte, regenda que et restituenda sua valetudine vires non modo eum perclitan tem viderunt ciues, verum etiam tum doctis, tum discendi cupidis patentem apud eum aditum. Quaque in re, cum singularis solertia, peritis, felicitas que neque minus spectaretur HIERONYMI; tanta *Ejus* creuit fama, ut non *Mercurij* solum ipsis, qui vel inuentoris artis vel saltim in inuenienda ea perficiendaque adiutoris nomine, ut constat, olim veniebat, salvaretur filius; verum etiam ciues eius, qui nisi omnibus, plerisque tamen, quos vñquam terra tulit, medicis fore eum aliquando fama et doctrina longe superiorem prae sagiente animo intelligebant, publicis *eum* aestinare honoribus opemque eius implorare inter se certarent.

Quid ergo mirum, quod, cum anno supra millesimum quingentesimum sexagesimo et secundo legatus ad *Pium IV.* Pontificem, Foro Liuii Romam mittendus esset, solus dignus iudicaretur MERCVRIALIS, qui, quamuis adhuc iuuenis, (vix enim trigesimum aetatis expleuerat annum) hanc in se ciuium nomine susciperet spartam.

Hoc in sedis apostolicae, quam dicunt putantque, delatus emporium, ita se gessit, ut non propter singularem solum eruditio nem omnibus bonis summa in laude, verum propter morum etiam incredibilem suauitatem maxima esset in gratia. Hinc res sibi demandatas bene cum perfecisset, in familiam concessit *Alexandri Farnesi* Cardinalis, eximi i plane bonarum literarum fautoris, in qua totum peregit septennium, hocque in otio primum excellentis ingenii sui dedit foetum de *Arte Gymnastica veterum*, opus omni liberali doctrina abundantissimum, quo vel vnico etiam aeternam sibi nominis comparaue rit gloriam.

Septennio vero peracto, anno scilicet supra millesimum quingentesimum sexagesimo nono, ab amplissimo Senatu Veneto,

to Patauium vocatus ut Victoris Trincaellii (d) successor principem medicinae Practicae interpretandae obtineret locum, munusque hoc die XXI. Octobris (e) maximum in orbis literati Gymnasique Patauini, quo ipso olim, ut supra monuimus, doctus educatusque fuerat, auspiciatus est emolumentum. Hic enim doctrinae suae copias explicandi amplissimus ipsi sese obtigit campus. Hic omnes etiam animi ingenique sui in id tendit neruos, ut Hippocratis illud Ιητρός Φιλόσοφος ιτανθεος verissime in eum conuenire videretur. „Ecquis enim quaeso (f) hoc tempore in hac Academia vel Venetiis fuit, qui modo aliquid de literis elegantioribus aestimare posset, qui non appetendam sibi omni studio Eius amicitiam arbitratur? Nam et veterum medicorum scripta in scholis ita explicantem et priuatum ita de Medicina respondentem audiebant, nihil ut eruditius, nihil prudentius cogitari posset; et in arte ipsa facienda, tanta non solum scientia atque confilio, sed etiam felicitate versari videbant, ut ii aegri beatissimi viuderentur, ad quos ille curandos quam primum accederet. Quare etiam, cum hoc modo et apud exteros fama Eius inclaresceret, factum est, ut ab ipso Romanorum Imperatore Maximiliano II dignus iudicaretur, cui ob peruulgatam in mendendo peritiam, soleritatem fidemque, grauissimo laborans morbo

(d) Ira quidem CONRINGIVS introd. in med. universi Cap. III §. 32. p. 157. docet, repugnante NICERONIO, qui l. c. p. 18. ANTONIO FRACANTIANO successisse afferit. Fuit vero Trincaella, sive Trincaellus, vti eum vocat Petr. Rembus. Medicus doctrina usque excellentissimus, itaque grece doctus, ut etiam νοτι ἐξογην Graeci nomen adeptum eum fuisse legamus conf. STOLLE in der Medicinischen Gelehrten Historie, p. 136, sq.

(e) Vid. NICERONIVS l. c. qui etiam testatur initio quidem 600, postea 800 et tandem 150 florinorum quotannis eum ibidem meruisse stipendum.

(f) Verba sunt ANDREAE SYLVII, in epist. dedicatoria, quam MERCVRIALIS variis letationibus ad Anton Perenottum Cardinal. praesmisit.

bo semetipsum tradere haud dubitaret. Et accersitus anno MDLXXXIII. Vieñnam, (g) votis Imperatoris aulaeque procerum ex asse etiam respondit, feliciterque pristinae Caesarem restituit sanitati; quo facto largissimis vereque caesareis praemiiis, trecentis scilicet ducatis, torque aureo totidem aureorum pretii, duobusque equis generosis, nec non praeter ea *Comitis equitisque aurati ornatus dignitate*, ad delicias suas, Academiam Patauinam redit.

Errare humanum est, ipseque interdum bonus dormitat Homerus. Quid ergo est, quod mireris, nec MERCVRIALEM, summum alias Medicum, ab hoc communi mortalium vitio plane fuisse alienum. Paulo enim post, cum Patauim reuersus fuisset, anno scilicet millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, Venetas petere iussus est, vt cum Hieronymo Capivaccio, (h) neque inferioris famae medico, morbum quendam contagiosum atque epidemicum, sub cineribus adhuc tum latitantem, inquireret, quidue de eo sentiat, proponeret. Ibi factum esse legimus, vtrumque hunc Medicum, morbum omni periculo liberum, nihilque minus quam febrem fore pestilentialem, proposuisse, cum tamen breui post in inexplicabiles exarserit flamas totamque peruvagasset urbem. Quamquam igitur praecepiti hac sententia apud vulgum Venetum non iniret gratiam, ita vt etiam, nisi subito irae eius se subduxisset, in vitae positus esset periculo: (i) tantum tamen abest, vt praeclara prudentiorum, qui homines nos esse, nihil humani a nobis alienum intelligunt, de Viro hoc, de salute mortalium egregie merente, quoque opinio fuerit imminentia, vt potius adeo eam

(g) Non vero Anno MDLXXXIII, vti THOMASINVS, qui eum secuti sunt FREHERVS ET LINDENIVS perhibent, siquidem Maxamilianum anno MDLXXVI. e vita discessisse ex historiarum constat monumentis.

(h) conf. de *Capivaccio*, qui Cratoni plerumque *Bucephalus* dictus fuit, FREHERVS, LINDENIVS, KESTNERVS, alii.

(i) vid. NIGERON. l. c. p. 18.

eam adauctam fuisse atque confirmatam legamus, vt, an vlli medicorum, quos terra vnuquam protulit, maior, quam MERCVRIALI, honor sit habitus, dubius sane haeret.

Postquam enim ad Musas Patainas redierat, longoq[ue] satis tempore per septendecim scilicet annos, magna cum audentium utilitate medicinae Doctoris obierat munus: Anno MDLXXXVII. secessit Bononiam, eodem ornatus munere annoque 1200 ducatorum conductus stipendio.

Sed neque hic perficit HIERONYMVS. quinquennio enim peracto, anno MDXCH. contulit se Pisas, medicinamque similiiter docendi prouinciam suscepit, qua initio quidem 1200 et sequentib[us] annis 2000 aureorum impetrato anno stipendio per decem et duos annos non sine laude magnoque vndique confluentium auditorum emolumento, vt semper solitus, perfunctus est. Et ad docendum etiam alios natus videbatur MERCVRIALIS, instinctuque naturali quasi impulsus, ita vt frustra a multis principibus, largissimis etiam stipendiis saepen numero in aulas Medicus primarius vocatus, otium literarium vitamque academicam aulicae tempera praeterulerit.

Demandata sibi vbiique munera magna administauit cum laude, et quicquid egerit, bene perfecit. Italo docuit satis multos, qui admirabili doctrinae fama imp[er]fisi se in eius disciplinam tradiderunt. Nec defuerunt ex aliis populis strenui literarum cultores, quos vndique insigni sua ad se allicebat eruditio[n]. Ex auditorum, quos habuit, numero, inclaretur postea plures, grati, vt par est, discipuli, merita praecessoris pia prosequuti religione scriptaque eius publici facientes iuris. Eminent ex eis Iulius MACINVS, Ascanius PICCOLHOMINEVS, Rhodi atque Senarum Archiepiscopus, Michael COLVMBVS, Petrus de WITTENDEL, Ioh. GROSSESVS, Albertus SCHELIGIVS Vbarschauiensis, Paul. AICARDIVS, Antonius TERTIVS, Mutius IVPPONVS, qui ipsi per septennium a manibus fuit, (k) aliisque plures. Palmam ta-

(k) vid. Mich. COLVMBI, praefat. Tom. I. Consistorium praemiss.

men, ni fallor, reliquis omnibus praeripit Botanicorum superiori aetate facile princeps, *Caspar BAVHINVS*, insigne Academiae Basileensis olim decus, qui etiam in grati erga praecettorem animi tesseram, elegantissimos *Eius de Morib⁹ Mulierum* summis ornatos publicauit elogis.

Sed ut ad ipsum horum Summorum Virorum, ex cuius prodierunt schola, redeamus praceptorē, MERCVRIALEM nostrum; satur ille tandem laboris molestiaeque, qua afficere solet munus scholasticum suos doctores, senioque confectus, valedixit dulcissimae vitae academicae, reliquosque vitae annos in otio placidaque transacturus quiete patrios lares repetiit. Vbi vero, qui prospera semper vſus fuerat valetudine, paulo post, calculi dolore affectus, et per triginta dies vexatus vitam de re publica et literaria bene meritam cum morte commutauit, relicto filio MAXIMILIANO, qui quaedam a patre reliqua postea edidit, relicto magno sui apud ciues, apud orbem literatum, apud omnes bonos desiderio.

De anno *Eius emortuali non consentiunt inter se scriptores*. GHILINI ET CRASSO anno MDXCVI. Petrus de SPINA (1) anno MDCl. THANVS ET WITTE anno MDCIV. erexit eum fuisse aiunt: NICERONIVS vero, hac in re testis fide digniss. (m) defunctum eum esse probat

(1) vid. *Eius Praefationem Medicinas Practicas MERCVRIALIS*, quam edendam curavit, praefixam scriptamque anno 1601, vbi: „Verum dum in eo sum, ut publicis typis haec mandantur, ecce trifis et inopinata, de incomparabilis viri morte, affertur fama. „etc.

(m) In comment. l.c. p. 21. „Il mourut, inquit, le 9. Novembre, 1606 nage de 76 ans et fut enterré dans la chapelle de S. Mercurial. Ghi-

lini et Crasso se sont trompés, en avançant sa mort à l'année 1596. et Mr. de Thou en la mettant en 1604. Je ne saï ce que Thomasini a voulu dire, quand il a marqué qu'il étoit mort an 1506. d. 13. Idibus Novembr. expression, qui ne signifie rien, il auroit mettre s Idus. Puisque celui, qui a donné la Relation des ses funerailles, marque précisément le 9. Novembre, comme le jour de sa mort. „ biv (1)

bat die IX. Novembris A. MDCVI, cum annum aetatis age-ret septuagesimum sextum, et sepultum in ideo magnificentissime a se exstructo, quo et paulo ante D. *Mercurialis* trans-ferri curauerat reliquias.

Fuit *MERCVRIALIS* egregia corporis forma, (n) vul-tuoreque toto viri boni et honesti praebens aspectum, fronte explicata et ingenua, maxime vero suauissimis sanctissimisque moribus, adhaec praestanti omnino ingenio, graecarumque literarum doctrina et eruditione insigniter pollens, medicae vero artis et philosophiae peritissimus. Magnis igitur hoc nomine laudibus certatum illum extollunt, qui vel propius eum cognoverunt, vel ex scriptis, qui fuerit, nosse didicerunt, iisque maxime idonei arbitri atque existimatores. Ex his imprimis summus ille *CASSELIVS*, „Virum eum elegantibus literis „praeditum.,, (o) *LIPSIVS* que (p) „Virum probum, can-didum et illustri doctrina atque fama, clarissimumque medi-cum, immo aeuī sui primarium,, vocare haud dubitat. Ean-dem in sententiam de illo scribit magnus noster *CONRIN-GIVS* (q) qui „Virum eleganteri doctrina plane imbutum, in „quo praecipue omnis generis scriptorum medicorum multi-plex lectio cum accurato indicio vix satis laudari posset,, fuisse eundem confirmat. Et *JAMILVS PALAEOTVS*, cum quo familiariter maxime vis t, „de *MERCVRIALI* quid qua-eris? scribit, (r) in ore omnium versatur, diligitur, et de si-n-gulari *Etsū* virtute et loquuntur omnes, et ientiuunt.,, Alio-que

(n) *NICERON*. I. c. p. 21. C'etoit,
inquit, un homme bien fait et de
bonne mine, d'une grande dou-
ceur, et qui joignoit à une scien-
ce profonde une piété exemplaire.
(o) *in epist. ad Henning. Arnisaeum,*
adiecta BVRCKHARDI medico gra-
nissimo humanitatis studiorum vindi-
cti, p. 142.

(p) non vero *Iuste Lipsē der gerechte*
Leipziger, sed *IVSTVS* ille *LIPSIVS*
Ep. Cent. II. Miscell. Ep. 32. et ep. 39.

(q) *Introd. in Med. Uniuers. Cap. III.*
§. 7. p. 32.

(r) *in Ep. ad Latin. scr. Non. Decemb.*
A. 1587.

que loco ita laudes *Eius* canit, (s) „Cum MERCVRIA-
„LI, inquit, frequens mihi est consuetudo. Quid quae-
„ris? Conuiua, quae antea auersari solebam nunc me magnō-
„pere delectant, quoniam per ea commode illius congressū mi-
„hi frui licet. O! quanta homini eruditio, quam suauissimi
„mores!“ A BOISSARD O (t) medicus excellentissimus
omniumque disciplinarum genere dicitur ornatissimus: a PAV-
LO GVALDO (u) magnus sine controversia *latronices*, cui
medica ars ornatum debet selectum illum et peculiarem, quo
pristinam dignitatem nunc demum abunde testatur: et ab il-
lustri nostro BVRCKHARDO (w) iure suo atque merito Me-
dicis annumeratur grauissimis humanitatis studiorum vindici-
bus. Reliqua in praesenti doctissimorum virorum testimonia,
quibus de insigni eximiaque illius eruditionis praedicarunt
praestantia, (x) silentio suppressa sunt.

Neque tamen interim hoc factum est sine iure. Medicinam
enim tam eloquenter quam eruditè docuit MERCVRIALIS exi-
stimationemque et admirationem doctissimorum virorum praæ-
stantibus scriptis a se compositis demeruit, neque minori vir-
ture, quam eruditione sua illustris fuit. (y) Cum enim non
minorī sollicitudine perfectam prosperamque sanitatem in ani-
mo stabilire satageret, quam aegris ad se confluentibus resti-
tuere valetudinem, vitam et innocentia et pietatae maxime egit
corruscam. Vnde non apud eruditos tantum maxima passim
gratia valuit atque auctoritate, verum et amicos sibi conciliauit
tam generis nobilitate praestantissimos, quam loco etiam ordine
et

(s) in Ep. ad eund. prid. Calend. Febr.
1588.

(t) in Iconeth. viror. illusfr.

(u) in Vita Ioh. Vincentini Pinelli.
inscrit. Guil. Batefii *Vitis select.*
alig. viror. p. 352.

(w) in elegantissimo de hoc argum.
libro.

(x) Praeter POPE BLOVNT, qui ea
in Censura sua celeberr. Author. p.
800. sqq. collegit, pertinent hue,
quos supra annotauit, Elogiorum,
vitarumque scriptores.

(y) TEISSLIERIVS l.c. p. 359. Il
ne fut pas moins illustre, inquit,
par sa vertu, que par son favor.

et virtute ornatissimos, quorum tum coram, tum per literas fauore et amicitia semper vslus fuit.

Insuper merita *Eius* non magnam solum nominis celebritatem, verum etiam pecuniae diuinarumque immensas ipsi pepererunt opes. Haeredibus enim suis centum et viginti scutatorum aureorum reliquie dicitur, z) postquam vixisset honestissime et splendidissime insignibusque liberalis munificentiae documentis affecisset amicos, nec immemor fuisset pauperum egestatis.

Vt vero nemo mortalium ante obitum ex omni parte perfectus, ita etiam MERCVRIALEM suos habuisse naevos contendunt. Quod enim multis doctorum hominum communе est vitium, vt arrogantia quaedam, aut si mauis φλαυτια scientiae, qua pollent, socia sit atque comes, hacque inflati solos se sapere putent aliosque alto aspiciant supercilio: ab hoc quidem adeo liberum immunemque non fuisse ferunt HIERONYMVM; vt potius is fuerit, qui dum de doctrina sua loqueretur, dicere solitus fuisset, neminem a professis suis semel opinionibus deflectere posse et debere, quin in crassos laberetur errores.

Ego vero vix ac ne vix quidem affirmare dubito longe aliter cogitasse Mercurialem. Si enim bonus ille fuerit vir, (quam gloriam quis quaeso est, qui ipsi demat?) huius vero esse sciamus, vt non aliter loquatur ac sentiat, sed verba eius factaque cordis sint signa, quis est quaeso tam inhumanus, qui, dum scripta nostri legerit, arroganter eum fuisse suspicaretur. Testem prouoco, quam Censurae suae scriptorum Hippocraticorum praemisit, praefationem, cuius, quae hoc spectant, repeterem iuuabit verba. Ita vero scribit: - - - „Itaque censuram hanc operum Hippocratis ab hinc circiter biennium „non tam emisi, quam vt eruditorum iudicium in re noua et „diffi-

(z) Alii volunt 1:6000 ducatorum, tante, *Ducast de Venetia* fuerunt.
qui forsitan, STOLLIO anno-

„difficili explorarem, publice spectandam proposui, eaque de
 „causa meum nomen suppessi, vt cuius liberius cum amicis,
 „qui eam per vniuersam Europam distribuerunt, sententiam
 „propriam communicare liceret. Verum dum complurium
 „doctissimorum virorum, qui de hac censura, et aliis et mihi
 „erudite prudenterque scripsierunt, sententias diligenter ex-
 „quiro, multaque in ea mutare, demere, addere pergo, nun-
 „ciatuum interea est, paelectionibus quibusdam meis de pue-
 „rorum morbis et de venenis, quas anno superiore Poloni
 „auditores mei publicauerunt, typographum Basileensem, qui
 „post Venetam et Francofuritanam editionem eas rursus impri-
 „mendas curauit, hanc Censuram addidisse, quam paeopope-
 „ram festinationem, ita aegre tuli, vt etiam si nondum perse-
 „ctam et perpolitam, minus tamen rudem et inchoatam, non
 „parum certe mutatam, quasque reformatam, imprimendam
 „rursus dare coactus sim: et quidem nomen meum apponi
 „volui; non quod omne tulisse punctum, vt dicitur, aut magnum
 „me laudem hinc consequeturum putem; (scio enim non pauca su-
 „speref; in quibus aliorum elaboret industria; immo non defu-
 „tueros esse, qui eam diuersis nominibus criminentur,) sed vt,
 „si qui bacillus ignotum auctorem monere veriti sunt, sciant por-
 „tro, cum eo sibi esse agendum, qui non modo eruditorum admoni-
 „tiones libenter auscultare solet, verum etiam gratias iis cunctis
 „habiturus est immortales, qui ad iuuandum studiosorum profe-
 „ctum, atque illustrando laudatissimi scriptoris libros, aliquid
 „quocunque modo sunt collaturi.,, etc.

At vero, si aliqua etiam in re peccauerit interdum *Mercurialis*; (a) dandum tamen hoc esse opinor humanitati, cum eo maiori ipsi cedat honori, semper sui fuisse constantem, eandemque animi virtutem in ipsa etiam ostendisse morte.

Licet

(a) An vero eapropter Charletane-
riae (liceat hac voce vti) reus sit, vt
Stellius putat, ego quidem affirma-

re noluerim. Quot enim, quot
hoc modo haberemus Charletanos!

Licet enim, ut supra monui, per triginta dies calculorum vexare turdoloribus; tanta tamen mentis aequitate tantaque mortem obiuit constantia, ut non ex vita discedere, sed ex vna domo migrare videretur in alteram.

Mortuo, in quanta, dum viueret, apud omnes, laude, in quanta fuerit auctoritate, satis apparuit. Lugubri enim non solum tumulum *Eius* multi illustrissimorum ornarunt carmine, (b) verum etiam *statuam* ipsi publicam solemnemque locandam curauerunt ciues, qui honor ante illum habitus est nemini.

Postquam igitur vitae ab HIERONYMO MERCVRIALE praeclare transactae vberius exposui rationes, sequitur nunc, ut de praestantissimis ab Eo ingenii doctrinaeque editis agam monumentis, quae eo aestimanda magis, quo maiorem ex illis omnes elegantioris medicinae cultores percipere possunt utilitatem. Et ipse quidem in veterum Graecorum libris latina ciuitate donandis, variisque notis illustrandis, nec non antiquitatibus medicis explicandis praecipuam consumxit operam. Spectant huc, quos conscripsit, de ARTE GYMNASTICA VETERVM Libri sex, totidemque *Variarum Lectionum*, quibus varia veterum Latii Graeciaeque scriptorum loca doce et eleganter explicantur, *Censura Operum HIPPOCRATIS*, qua genuini summi huius Medici a suppositiis vindicantur commentarii, *Epistola ALEXANDRI TRALLIANI de Lumbricis*, versione Latina donata, et tandem *Magni ipsius HIPPOCRATIS COI opera omnia graeco-latina euulgata* et in suas diuisa sectiones.

Quodque primum quidem attinet de ARTE GYMNASTICA, quos conscripsit, *commentarios*, ei omni mea vtique laude

(b) Testis huius rei libellus est, qui prodiit sub titulo: *Il funerale, fatto da Massimiliano MERCVRIALE, da Forli, nell' effegie dell Ecc. Sign.*

GIROLAMO, suo Padro, in Firenze 1607. 4. ut NICERONIVS annotauit, quem vero vidisse non contigit.

C 3

laude sunt maiores, nulloque tempore non mortalium excita-
runt doctissimos, qui omni omnino modo Lecturis illos com-
mendarent. Quamuis enim IOSEPHVS SCALIGER, dictato-
ria voce et *ως εν τριποδος* loqui solitus, satis contemtim, TEI-
SIERIO teste, de eis iudicauerit, (c) quibus etiam assentire vi-
detur IOH. ANTONID. van der LINDEN; (d) prudentiores
tamen, qui illud *εαυτον εται μημονα η μημονα* verissimum esse
intelligunt, nugas eius non curant, longe aliter hac in re sen-
tientes. Prodeat enim sub *Erythraei* nomine latitans ROSCVS,
elegantissimus vitarum clarissimorum sui temporis virorum scri-
ptor, qui iure suo libros hos *eruditio[n]is thesauri ac docto[r]um*
homini[n]um deliciarum operisq[ue] omnis antiquitatis notitia referti
insignit titulo. Prodeat CONRINGIVS (e) medicorum, quot-
quot vñquam habuit *Helmstadiu[m]*, facile primarius, qui inter
recentiores scriptores, inquit, adeo p[re]aclare hoc argumentum
persecutus est HIERONYMVS MERCVRIALIS, iuuenis tum
adhuc opere de arte Gymnastica conscripto, ut vel vnico aeter-
nam nominis sibi comparauerit gloriam. Praestitit enim illo scrip-
pto doctissimum se Philosophum, Philologum, Medicum. Prodeant
alii, arbitri hac in re fide dignissimi. (f)

Ean-

(c) *Epifola*, 448.(d) *Manuductio ad Medic.* p. 92.

„Gymnastica, multorum quidem
„studio inquit, mediocriter culta,
„sed MERCVRIALIS potissimum,
„et Louberti et Cagnati exercita, esti
„nondum plane elaborata. Neque
„enim illi ipsi, neque aliis quis-
„quam, exercitationum species be-
„ne distinxit, aut annotauit, ne-
„que per has sanitatis tuendas cer-
„tum modum docuit, neque a ve-
„nientibus morbis praecaudae,
„ad quam plurimum tamen pol-
„lent Nam ix aliqua in morbum
„inclinatio inuenitur, quae non

„exercitatione quadam propria cor-
„rigi possit. „

(e) *Introduct. in Med. uniuers.* Cap.
XIII. §. 12. p. 413.

(f) Ex horum numero sunt; NICE-
RONIVS, qui Il composa cet ou-
vrage, inquit, qui est curieux, pen-
dant son sejour a Rome et c'est la
premiere Production de son esprit.
loc. cit. in commentar. suis: TEI-
SIERIVS in *Additam. aux Eloges*
de Mr. de THOU, Part. II. p. 359.
qui, Parmi tous ses ouvrages on
fait particulier de son traité, *de ar-
te Gymnasti*, qui est digne d'etre
lù, non seulement par les Medecins,
mais

Eandem laudem, nisi adhuc maiorem, merentur *Variorum Lectionum*, quos euulgauit, *Libri*, omnium omnino excepti plausu atque approbatione. In hos enim ex immensis ingenii sui diuinitis, quasi delicias quasdam iniecit; In his maxime atque grauissimae ex vniuersa medicina continentur disputationes; Horum ea cum eruditio atque subtilitas, tum elegancia est, vt omnem rem medicam suminopere illustrent. (g)

Et quid dicam de ALEXANDRI TRALLIANI epistola ad Theodoricum de *tumbricis corpori humano infestis*, eorumque curatione, quam primus, cum in hac tenus euulgatis editionibus desideraretur, versione latina a se confecta comitatam, variisque suis lectionibus adiectam (h) diuulgauit? In hoc enim Graeciae medicorum post Hippocratem facile primarii edendo libello, non uno modo ostendit, quam peritus sit graecarum literarum, verum etiam ad adiuuandas illistrandasque eas aptus.

HIP-

mais par tous ceux, qui aiment les belles lettres: H. BOERHAAVE, in *Methode descendit medicinam*; MEYER in der kurzen Anleitung zur Arzneikunst. §. 9. p. 117. MORHOIVS in Polyb. Tom. I. Lib. V. Cap. II. §. 12. aliquique plures. Et ipse egomet quandam, cum summos in Medicina consequerer honores, exemplo MERCVRIALIS incitatus de arte *Gymnastica noua* quedam exposui, quae quidem posterioribus curis reuisa, proxime denuo in lucem proferuntur.

(g) Vid. saepe laudatum NICEFORONIVM, I. c. inquietem; „Il y a beaucoup d'erudition dans cet ouvrage, et on y trouve plusieurs points d'Antiquité fort bien éclaircis. „

(h) Et quidem editioni Venetae, 1570. 4. euulgatae, cum postea tractarii de puerorum morbis adiectam eam videmus. Vnde forsitan auctor Lexici eruditorum biographici (des compendieusen Gelehrten Lexic) errore commisit, quod hunc ipsum MERCVRIALIS de morbis puerorum tractatum, ALEXANDRO TRALLIANO attribuerit, cuius tamen tantum dicta de *tumbricis* epistola illi addita est. Inferendam quidem hanc quoque MERCVRIALIS editionem epistolae Trallianae fecit sua Biblioth. Graec. Lib. VI. Cap. 7. summus ille quandam nostri aeui Polyhistor IOH. ALB. FABRICIVS, cum tamen rarioribus nihilominus annumeranda ea veniat libris, commentario perpetuo a me illustrata, prelo parata est.

HIPPOCRATEM tandem quod attinet, hunc medicae artis principem, itidem primus MERCVRIALIS graeco latinum meditatus est et publicauit, cum ante non nisi textu originali in virorum doctorum versaretur manibus. Meum quidem iam non est, an antiqui scriptores graeci, sola lingua vernacula editi, iis, qui versione quadam sive latina sive germanica comitati in tabernis librariorum eruditorumque bibliothecis prostant, praestantiores sint, pluribus inquirere; quamquam facili negotio hoc quidem affirmare possem: sed indicabo modo in praesenti brevibus quid praestiterit potissimum in sua hac editione graeco-latina MERCVRIALIS. Et ea quidem tot non inuehit laudatores, quot sperauerat, sed vario modo a pluribus fuit reprehensa. Si enim BARTHOLINO fides habenda est, (i) „partim ob nouatuirient diuisionem ac dispositio-„nem librorum Hippocraticorum, partim propter adhibitos ad „textum graecum exscribendos mendiosiores presso que nihilo „minus et ad superstitionem vsque veluti obseruatos codices „Manuscriptos omni caruit applausu atque approbatione „. Sed nimis acriter haec dicta fuisse ego quidem putauerim. Quamuis enim non inficias ire possim, hanc MERCVRIALIS editionem, illis, quos ANTIUS FOESIVS, CHARTERIVS, LINDENVS, nouissimeque STEPH. MACKIVS curarunt et adhuc curat, (k) quarum ista accuratissima et ad haec nostra usque tempora (l) sine dubio optima; illa nitida satis atque pre-

(i) *De Libris Legendis Diss. IV.* p. m.
110. Quid summus ille medico-philologico - philosophico - critico-poetarum Princeps, DAN. WILH. TRILLEVS, Wittebergensis Academiae hodie Professor Medicinae longe celeberrimus. de hac Mercuvialis nostri editione sentiat, cum elegantissimum eius, super *Libr. epudem. Hippocratis ad FREINDIVM Commentarius*, in quo *Commentatio-*

rum editionumque huius Auctoris Cenfuram instituit, non ad manus sit, nec data opera reperiri potuerit, affirmare non possum.

(k) Loquor tamen h. l. solummodo de editonibus graeco-latinis, sole que graeco sermone exstantes, taceo.

(l) Et quidem prima ea, quae *Fran-
cofurtis ad Moenum 1595*, fol. edita est,

pretiosa; *haec* vero *vsui* maxime accommodata et nisi ingenio tantum indulisset suo *LINDENIVS* nimisque audacem in tex-
tu originali gessisset criticum, reliquis omnibus paeferenda; *ultima* vero, cuius finem aide expectantes optamus, omnium nitidissima est, esse inferiorem: Hoc tamen dandum est *MERCVRIALI*, quod glaciem is fregerit primusque sit qui tale quid molitus est. Diuisit vero praeterea, quod latina versione opera haec donauerit, in quatuor ea ordines quamvis non omnibus numeris absolutos, scholiisque suis hinc il-
linc illustravit.

Et cum denique temporis etiam iniuria factum esse sciamus, quod tanta librorum *Hippocratis* sit incertitudo, ut, num omnes, qui sub Eius nomine veniunt, genuini ipsius sint foetus, vix ac ne vix quidem asserere valeamus: bene omnino et sapienter egisse videmus viros doctos, qui lapidem lydium adhibuerunt, quaenam vera *Hippocratis* sit proles assidue inquirentes. Ex his praeter *LVDOVICVM LEMOSIVM* fuit quoque noster *MERCVRIALIS* in eo occupatus ut ingenua ab interpolatis et palam spuriis secereret, quamquam non desunt, qui circa suscepit ab eo lustrationem varia monerent. Perfunditus est hac opera in *Censura*, quam dicit, *scriptorum Hippocraticorum*, de qua, cum pari modo inter rariores hodie referenda sit libros, forsitan alias.

Reliqua *MERCVRIALIS* quae extant scripta, de *morbis mulierum*; de *morbis puerorum*; de *morbis cutaneis*; de *venenis et morbis venenosis*; de *pestilentia*; de *compositione medicamentorum*; aliaque plura, discipulis edenda commisit, ut, si quid forte in eis peccatum esset, ea citra famae et existimationis iacturam summa prudentia et modestia libertatem sibi seruaret.

Quo vero clarius appareat, quae scripserit *MERCVRIALIS*, omnia eius ingenii monumenta ordine recensemus, ita ta-
men ut in certas ea diuidamus sectiones.

D

Sunt

26 DE VITA MORIBVS MERITIS SCRIPTISQUE

Sunt itaque

I. *Ab ipso edita.* (m)
fere haec:

I. *Variorum Editionum Libri IV.* in quibus quam plurium maxime Medicinae scriptorum infinita pene loca, vel corrupta restituuntur, vel obscura declarantur: Accedit ALEXANDRI TRALLIANI de *Lumbricis* epistola, *Eiusdem MERCVRIALIS* opera et diligentia graece et latine nunc primum edita. (n) *Venetiis* apud Gratosum Perachinum. 1571. 4.

* (2) ————— quinto libro auctior et in prioribus quatuor locupletior editio, *Basileav* ap. Petr. Pernam. 1576. 8.
pagg. 276. (o)

(3) ————— sexto libro instructior. *Parisis* ap. Nicol. Nivellum. 1585. 8.

* (4) ————— quibus *Libri Sex* ab Auctore recogniti, adiecta sunt *capita sex*, antea nunquam edita, *Venetiis* ap. Iuntas 1588. fol. min. (p)

(5) ————— *ibid.* ap. eosdem 1598. 4.

(6) ————— ————— ————— 1601. 4.

II. *De Arte Gymnastica Libri VI.* in quibus exercitationum omnium vetustarum genera, loca, modi, facultates et quicquid denique ad corporis humani exercitationes pertinet, diligenter explicantur. *Venetiis* 1573. 4.

(2) ————— *Parisis* ap. Ioh. du Puys 1577. 4.

* (3)

(m) Signo * notatos libros, siue librorum editiones, omnes ipsis meis vidisse oculis scias ex splendissima nostra BIBLIOTHECA AVGUSTA gratiose mecum communicatas.

(n) Haec vero ipsa TRALLIANI epistola in editionibus hanc Venetiam sequentibus, vti iamiam monimus, omissa est, libroque de

puerorum mortis, infra nominando adiecta.

(o) Curavit hanc editionem ANDREAS SYLVIUS, vti epistola eius nuncupatoria ad Anton. Perenorr, Cardinal et Archiepiscop. Melclensem testatur.

(p) Haec et sequens editio habentur optimae.

* (3) ——— tertia editione correctiores facti. *Venetius*
ap. Iuntas 1587. fol. min.

(4) ——— *ibid.* ap. Iuntas. 1601. 4.

(5) ——— 1644 4.

* (6) ——— editio nouissima aucta, emendata et figuris
authenticis *Christoph. Coriolani exornata. Amstelod.* ap. Andr.
Frisium. 1672. 4.

III. *Censura et Dispositio Operum HIPPOCRATIS* edita locu-
pletior et emendatior *Venetius* 1583. 4. (q)

* (2) ——— denuo edita locupletior et emendatior *Frif.*
ap. haered. Andr. Wechel 1585. 8.

IV. *HIPPOCRATIS COI Opera* quae extant *omnia* grecce et
latine, veterum codicum collatione restituta, novo ordine
in IV. Classes digesta, interpretatione latina, emendatione
et scholiis illustrata, ab Hieronymo Mercuriali. *Venetius* ap.
Iuntas 1588. fol.

II. *Ab aliis et cum primis discipulis
eius edita.*

V. *De morbis cutaneis et omnibus corporis humani excretionibus*
Tractatus locupletissimi, varia doctrina reserti, non solum
medicis, verum etiam Philosophis magnopere utiles, ex ore
Hier. Mercurialis diligenter excepti atque in libros quinque
digesti, opera *Pauli Aicardii. Venetus* ap. Percharcinum
1572. 4.

(2) ——— Basileae ap. Conr. Waldkirch. 1576. 8.

* (3) ——— quibus accessit libellus de *Decoratione*, ex
Eiusdem Mercurialis Patauinis praelectionibus exceptus et
in capita redactus a Iulio Macino. Venet. ap. Iuntas 1601.
fol. min.

(4)

(q) Prima quando prodierit editio, certus affirmare non possum. Interim forsan dabo operam, ut proxime curis posterioribus reuisa recudatur.

28 DE VITA MORIBVS MERITIS SCRIPTISQVE

(4) — — — ibid. 1625. 4. (r)

VI. De *Pestilentia Lectiones*, habitae Patauii, A. MDLXXII, mense Ianuario, in quibus de peste in vniuersum praeferunt vero de *Venera et Patauina singulari quadam eruditione tractatur, Venetiis* ap. Paul. Meiettum 1577. 4.

(2) — — — ibid. 1578. 8.

(3) — — — c. *Eiusdem tractatu de maculis pestiferis et hydrophobia*, ibid. ap. Iuntas 1601. 4.

VII. *Tractatus de maculis pestiferis et hydrophobia. Patauii* ap. Paul. Meiettum 1580. 4.

VIII. De *morbis muliebribus*, circa conceptum, partum, partus nutritionem, et vniuersum vteri statum *Prælectiones* in IV. Libros digestae editaque a *Casp. Bauhino. Basili*, ap. Conr. Waldkirch. 1582. 8.

(2) — — — postea vero per *Mich. Columbum*, ex collatione plurium exemplariorum locupletissimae et emendatae factae, *Venetiis* ap. Iuntas 1601. 4.

(3) — — — ib. ap. eosd. 1618. 4.

* (4) — — — extat in *Gynaeciorum collectione* edita ab *Israele Spachio. Argentor.* 1597. fol. p. 209. sqq. (s)

IX. De

(r) In his quidem non Pathologum solum, verum et soleritissimum praebuit se Physiologum *Mercurialis*. Sunt vero de *morbis curanens libri duo*, de *exrementis libri tres*; et quamvis editio alteris nota ad manus mihi fuerit, de *decoratione tamen libellum*, quem titulus eius indicat, reperire in ea non potui. Explet ea 210. pagg.

(s) Duplicem hic commisisse mihi videatur errorem in *Lindenio suo renonato*

MERCKLINVS, quem sequutus ex parte sum, in recensendis MERCVRIALIS scriptis variisque eorum editionibus. Etenim, primum quidem fallor, num vnuquam prima illa editio forma octaua prodierit, deinde etiam non SPACHIVS, sed alter *Gynaeciorum Sylloges* editor BA VHINVS hunc huic collectioni inserendum curavit librum. Tres enim *Gynaeciorum*, sive morborum muliebrium, extant *Collectiones*.

IX. De *Morbis Puerorum*, Tractatus locupletissimi, duobus libris descripti. Venetiis ap. Perchaciniū 1583. 4.

(2) — — — in tres libros digesti opera Ioh. Chrescziejowski, ibid. ap. Iuntas 1583. 4.

(3) — — — ibid. 1615. 4.

(4) — — — add. ALEXANDRI TRALLIANI de *Lumbricis* epistola, Graece cum *Mercurialis* versione latina. Fīf. ap. haered. Andr. Wechel. 1584. 4.

* (5)

Diones. Primam, inscriptam: *Volumen gynaeciorum, de mulierum graudarum, parturientium, et aliis rerum natura, morbis et affectionibus*. Basileae 1566. 4. excudendam curauit CASP. WOLPHVS, in ea que octo collegiis de eis scriptores: *Secundam* CASP. BAVHINVS, itidem Basileae 1586. fol. min. au-
diorem tamen, nouem aliis, praeter octo eos, scriptoribus, (inter quos etiam *Mercurialis*,) binis voluminibus luci exposuit publicae. *Tertia* denique, eaque ultima, que non eos solum omnes, quos praecedentes continent editiones, in se complectitur, sed quatuor novis insuper etiam adauita est, cura ISRAELIS SPACHII prodit Argent. 1597. fol. Hinc editionem nunquam editam indicasse Mercklinum facile auguror. Quod vero hanc primam, quam ille ipse indicat, seorsim editam plane negauerim, in hac quidem re me ipse confirmat *Bauhinus*, qui quippe in praefatione *suae collectionis Gynaeciorum*, Tom. II. praemissa, ne verbu-

rum quidem de ea meminit. Inuabit ipsa eius, quae huc spectant, repete verba. Ita vero scribit: „Cum ergo nobilissimi ac clarissimi Philosophi ac Medici HIERONYMI MERCVRIALIS, *Vatauni*, in Praxi Antecessoris, Praeceptoris olim mei Lectiones, de *morbis puerorum*, quas ante annos circiter quatuordecim extraordinarie inter plurimas occupationes habuimus, Typographus in lucem edere vellet, mihique ad manus esset exemplar, a me in Italia conscripturn et tum temporis eriam cum autographo collarum, ne forte exemplar vitiatum daretur, communicauit, idque propter summam doctrinam, quae in eo tractatur, continetur, ita, ut fateri me oporteat, haec tenus ne vllum autorem legisse, qui fusius, maiori cum diligentia, et ordine morbos omnes muliebres pertractaret. „etc. Exstat vero in *Cellione* dicta *Bauhiniana*, hic *Mercurialis* libellus, Tom. II. statim ab initio usque ad pag. 195.

D 3

30 DE VITA MORIBVS MERITIS SCRIPTISQUE

*⁽⁵⁾ — — — Item de *Venenis et morbis venenosis*, quibus
adiuncta est *Censura Hippocratea*. Basileae ex officina Per-
nea ap. C. Waldkirch 1584. 8. (t)

X. De *Venenis et morbis venenosis Tractatus locupletissimi, va-*
ria doctrina referti, nec solum medicis, verum etiam philo-
sophis magnopere viles, in libros duos digesti, opera Al-
berti Scheligi Vbarschauiensis, Frf. ap. Andr. Wechel.
1584. 8.

(2)

(t) Vid. CONRINGIUS, l.c. p. 197.
qui „Praeclarum, inquit, cum pri-
„mis MERCVRIALIS est opus de
„puerorum erbis, licet ipsum a
„discipulo eius editum.“ Editor
vero huius libelli est tob. Grosius,
sive *brusizię pojskus*, natione Po-
lonus, Med. Doctor, ex cuius epi-
stola dedicatoria ad ampl. Senatum
Posnaniensem haec repete reiceat:
„Clarissimus Praeceptor meus ite-
„morum M. mercialis, Vir inter
„eos, qui de arte medica, hac no-
„stra tempestate bene sunt prome-
„riti, facile princeps, cum multis
„hinc inde praeclariss. virorum li-
„teris sollicitaretur, ut copiam sua-
„rum de puerorum morbis disputa-
„tionum faceret, quod scilicet il-
„iae essent eiusmodi, (vt tanti viri
„sunt omnia,) quae multo in me-
„dicina usui esse possent, plurima
„continentes ex variis grauissimo-
„rum veterum monumentis eruta,
„et maximo cum iudicio simul
„comportata: iustis amicorum pe-
„titionibus cupiens satisfacere, cum
„tot exempla manu scribere non
„possent, quorūpetebantur, tandem

„secum ipse statuit, pro communi
„omnium utilitate eas typis impri-
„mendas dare. At quoniam nul-
„lum earum exemplar domi suae
„habebat, quae tantum apud ali-
„quos eius auditores, ex ore ipsius,
„cum olim eas publice habuisset,
„exceptae reperiebantur, sciens me
„quoque fideleriter descriptas habe-
„re, mihi id ininxit negotii, me-
„livrem in formam eas redigere,
„reuidere, et typis aptas reddi-
„rem. Etsi vero iam in procinctu
„ad iter eram, quod me optimus pa-
„rens ad se reuocaret; lubens ta-
„men eius voluntati obtemperavi
„et opus totum, qua, maxima potui
„diligentia saepius iterata lectione
„a mendis omnibus, quae passim
„in celeri scriptione facile occur-
„runt, perpurgau, suprema etiam
„Auctoris manu adhibita. „ etc.
Post dedicationem de *morbis pue-*
rorum libri III. pagg. 356. de *vene-*
nis et morbis venenosis opera Scheli-
gi ad Stephanum I. Polon. Re-
gem. pagg. 134. *Censura de Hippo-*
cratis operibus pagg. 24. cum tri-
plici indice occurront.

- (2) — — — *Basil.* ap. C. Waldkirch. 1586. 8.
 (3) — — — *Venetiis* ap. Iuntas 1588. 4.
 (4) — — — — — 1601. 4.

XI. De *Decoratione Liber*, non solum medicis et philosophis verum etiam omnium disciplinarum studiosis admodum utilis. Ex *Hieronymi Mercurialis* - - - - explicacionibus a *Iulio Macino* exceptus primum et in capita redactus. Additi nunc primum duo tractatus alter de varicibus; alter de reficiendo naso nunquam antea editi. (u) *Fif.* ap. Ioh. Wechel. 1587. 8. *

- (2) — — — *Venetiis* ap. Iuntas 1601. 4.
 (3) — — — — — 1625. 4.

XII. *Responsorum et Consultationum Medicinalium Tomus Primus*, nunc primum a *Mich. Columbo* collectus in lucem editus. *Venet.* ap. Iolitas 1587. fol.

- * (2) — — — *Basil.* ap. Conr. Waldkirch. 1587. 8.

XIII. *Responsorum et Consultationum Medicinalium Tomus Secundus*, nunc primum a *Mich. Columbo* editus addita *Collegiandi*, vt vocant, ratione. *Venet.* ap. Iolitas 1590. fol.

XIV. De *Compositione Medicamentorum Tractatus*, tres Libros complectens; I) de *Compositione medicamentorum*; II) de *medicamentorum dosi*, III) *Medicamentorum compendorum rationem et methodum tradit*. EIVSDEM de *oculorum et aurium affectionibus Praelectiones* Ipso praegente olim *Patauii* diligenter exceptae et nunc primum editae a *Mich. Columbo*. *Venet.* ap. Iuntas 1590. 4.

* (2)

- (v) Forsitan etiam nunquam editi; quamquam enim in tubro indicantur, desiderantur tamen in nigro. Dicata est haec editio *Ascanio Pic-*

colomino, qui quoque *Mercurialis* fuit discipulus et 199. explet paginas.

32 DE VITA MORIBVS MERITIS SCRIPTISQUE

* (2) — omnia primum a Mich. Columbo Philosopho et Medico in lucem edita, nunc vero a mendis quam plurimi, quibus scatebant, vindicata, subiecto rerum et verborum indice. Frf. ap. Ioh. Wechel. 1591. 8. (w)

(3) — ibid. ap. eund. 1601. 8.

XV. De oculorum et aurium affectibus Praelectiones, non solum medicis verum et philosophi magnopere utiles, Primum a Mich. Columbo in lucem editae, nunc vero a mendis quam plurimi, quibus scatebat Veneta editio, vindicatae Franc. 1591. 8.

XVI. Responsorum et Consultationum medicinalium Tomus tertius. Venet. ap. Franc. Franciscis 1597 fol.

XVII. Praelectiones Pisanee, s. Commentarii eruditissimi in HIPPOCRATIS Prognostica, Prorrhethica, de viuctis ratione in morbis acutis, et Epidemicas historias, quibus acceſſere tractatus luculentissimi de hominis generatione, vino et aqua balneisque Pisaniſ a Marco Cornachino ex ore ipsius diligenter excepti et nunc primum in lucem editi. Venet. 1597. fol.

(2) — — — Frf. ap. Io. Theob. Schoenwetter 1602. fol.

XVIII. Medicina Practica, s. de cognoscendis, discernendis et curandis omnibus corporis humani affectibus, eorumque causis in dagandis Libri V. in Patauino Gymnasio olim ab ipso publice paelecti et theſauri instar a quibusdam haec tenus reconditi plurimorumque votis et desiderio summe expediti: nunc autem

(w) Editionem hanc alteram curauit Petrus de Wittendel, M. D. qui in Gymnasio Bononiensi nostrum affide audiuuit, pluraque eius edenda promisit, quod vero, quantum ego quidem scio, non fecit,

Inuenient hic lecturi plumas, quibus nouitios nostri que aei homines superbire seque exornare videbunt. Prior de compositione medicamentorum tractatus 212, alter de oculorum morbis 192. explet pagg.

aurem post obitum Auctoris (x) boni publici causa in lucem
editi studio et opera Petri de Spina, Aquisgranensis. *Prf. ap.*
Ioh. Theobald. Schoenwetter 1601. fol. *)

(2) — — — *Lugduni ap. Ant. Pillehotte 1623. 4.*

(3) — — — sub tit: *Praelectiones Patainiae, de cognoscendis et curandis corporis hum. affectibus, cum inscio et tanquam defuncto auctore editis tum ex ipsiusmet ore recognitae et tertia parte auctae. Venet. 1627. fol. (y)*

XIX. *Responorum et Consultationum Medicinalium Tomus quartus, nunc primum a Guilielmo Athenio editus. Venetiis ap. Iuntas 1604. fol.*

XX. *In omnes Hippocratis aphorismorum Libros Praelectiones Patainiae, in quibus innumeri pene ipsius Hippocratis loci obscuriores ac sententiae elucidantur problemataque permulta obstrusiora facili methodo enodantur, nunc primum a Maximiliano Mercuriali, Auctoris filio publici iuris factae Bononiae ap. Hieron. Tamburnium 1619. fol.*

(2) — — — *Lugduni ap. Ant. Pillehotte 1621. 4.*

(3) — — — *cum Pancr. Marcellini notis marginalibus. Foroliuii 1625. fol.*

XXI.

(x) Errasse vero a *spinam*, hinc re, supra iam me monuisse memini.

(y) Nostra, quae ad manus est, editio 65z. explet paginas praeter indicem. Agit vero lib I. de affectibus capitilis; II. de affectibus thoracis; III. de affectibus abdominalis; IV. de morbis artuum et morbo gallico; et V. de febribus. Habitae haec lectiones sunt, ut ex fine libri patet, anno 1586. et finitae die VII. Iul. CONRINGIUS, dum

de hoc libello iudicat, „Maiori, „inquit, libertate, ingenio et iudicio, omnes antecedentes superavit *Her. Mercurialis*, Vir plurimae lectionis et medicus praestans, „tissimus, in cuius opere, hoc est singulare, quod lectionem Graecorum cum latinis, arabicis barbarisque coniunxerit; ideoque etiam eodem al. omnem veterem medicinam manuductore vti possumus.“

34 DE VITA MORIBVS MERITIS SCRIPTISQVE

XXI. Praelectiones Bononienses in Hippocratis secundum librum
epidemicor. Forolu. ap. Cimatticos 1625. fol.

III. Opusculis alis inserta vel adiecta.

XXII. De ratione discendi medicinam Erysipelas.

Ex Bibliotheca patris publicauit in Encyclopedie suo selecto de
formandis medicinae studiis, Argentorat. ap. Conr. Scher.
1607. 12. IO. GEORG. SCHENCKIUS.

XXIII. Repugnantia, qua pro Galeno strenue pugnatur ad Mel-
chiorem Guilandinum Borussum. *)

Extat in huius Melch. Guilandini Papyro, h. e. Commentario
in tria C. Plinii maioris de Papyro capita. Venetiis ap. M.
Anton. Vlmum. 1572. 4. pag. 235. sqq.

XXIV. De Vnguentis, et quid Hippocrati significet Vnguentum
Aegyptiacum. *)

Ex Var. Lect. Lib. II. cap. XIX. repetitum extat ibidem. c.
Guilandini responsione p. 253. sqq.

XXV. De nervis opticis in corpore humano obseruatis. Ep.

*) Extat in Constant. Variolii libris anatomicis. Frf. 1591. 8. edit.
p. 154. sqq.

XXVI. Epistole aliquot ad P. Monauium.

Extant in Cratonis Consil. et epp. iunctim editis.

XXVII. Epistola de morbo gallico ad Andr. Maccalinum.

Ext. in Gabr. Falloppii Aquis medicatis teste Schenckio.

XXVIII. Epist. de accubitus antiquorum in coena origine.

Repetit. ex Art. Gymn. L. I. cap. XI. extat cum PETRI
CIACCONII libris de Triclinio. Amst. 1664. 12. vid. Bibl.
Platneriana, Part. I. Philolog. p. 97. N. 1121.

IV.

IV. *Scripta iunctim edita.*

**XXIX. HIERONYM. MERCVRIALIS Consultationes et Respon-
sa medicinalia tribus tomis comprehensa, postrema editione
a Mundino Mundinio Vincentino, annotationibus exornata.
Add. Eiusdem Mercurialis Collegandi, ut vocant, ratione,
Venetiis ap. Iac. de Francicis 1620. 1624, fol.**

**XXX. HIERONYMI MERCVRIALIS OPVSCVL AUREA et
Selectiora uno volumine comprehensa; videlicet de Arte Gy-
mnastica Libri VI: de morbis mulierum Libri IV: de mor-
bis puerorum Libri III: Variarum Lectionum Libri VI;
Alexandri Tralliani de Lumbricis Epistola: de Pestilentia
Lectiones: de maculis pestiferis: de hydrophobia: de ve-
nenis et morbis venenosis: quibus accessit Consilium nouum
de ratione discendi medicinam. Ad Ioh. Stephanum Medi-
cum et Philosophum. Venetiis ap. Iuntas et Baba 1644. fol. *)**

V. *Opera affecta vel incerta.*

XXXI. Ratio lactandi infantes.

vid. Schenck, cuius testimonio extat MS, in Biblioth. Mar-
tiana.

XXXII. Praelectiones de Fehribus.

Ext. MSS. in Biblioteca Lindeniana ipsomet teste Lindenio.

ELOGIVM

HERONYMI MERCVRIALIS

AVCTORE

IANO NICIO ERYTHRAEO.

Iam vero, quenam tanta est vis ingenii, quod tantum orationis flumen, quae tanta dicendi facultas et copia, quae **HIERONYMI MERCVRIALIS Foroliuensis**, Medici et Philosophi, laudibus ex aequo respondeat? Illud enim unicum aetatis nostrae lumen, illud eximium medicae facultatis decus, illud maximum acumen ingenii, ad rerum causas inuestigandas, ad coeli conversionem ac motum, ad siderum ortus, occasus, aspectus compositionesque notandas, ad intimam ac reconditam omnium disciplinarum notitiam percipiendam, rite a natura perfectum, illud sumnum eruditionis culmen atque fastigium, quis, non modo laudibus efferre, verum etiam dicendo assequi possit? quisnam illud, quod est omnibus *Eius* laudibus anteponendum, quodque omnibus seculis difficillimum inueniu fuit, illam eius admirabilem, cum admirabili omnis generis eruditione coniunctam, vitae integritatem et innocentiam verbis explicare valeat tantum, quam re ipsa erat? Non enim doctrinam, ac Philosophorum placita, ita percepta habebat, vt iis ad ostentationem, non ad vitam, vt par est, agendum viceretur, non libidinum intemperantiam, vt quidam non magis flatiose quam stulte fatentur, cum qua uis virtute posse componi existimat, sed luxuriem cum omni hominum turpem, tum eruditorum nationi foedissimam esse docebat; nam praetermittendis, non persequendis voluptatibus, veri Philosophi famam comparari. Sed vt ceteri de *Eius* laudibus, earundem magnitudine deterriti, taceant, disertissimae cuiusdam vocis instar in eo laudando habebunt Patauinum, Bononiense ac Pisaniun Gymnasiū; quorum primum annos duodeuiginti, alterum quinque, tertium quatuordecim, de suggestu, Philosophiae ac Medicinae praecpta tradentem audiuit; et quorum primum octingentis annuis aereis, alterum millenis ac ducentinis, tertium millenis et septingentis

nis

nis atque etiam bis millenis, egregiam Eius operam, ad erudiendos, medicinae praeceps, confluentes ad eum auditores, conduxit: ac si magnitudo pecuniae, ex artificio aliquo collectae, artificis excellentiam perfectionemque declarat, centum ac viginti aureorum milia, quae ad haeredes testamento transmisit, praeter ea, quae viuens in pauperum necessitates, in domesticos usus, in amicorum utilitates effudit, medendi eam arte caeteris praestitisse clamabunt. Ut autem nullae de eo aliorum literae loquuntur, pulcherrimam *Eius* ingenii formam, magis quam aliqua eloquentissimi cuiusquam oratio exprimet operam multorum prope diuinitas, quorum exequias nulla posteritas seculorum aspiciet, et gymnasticum in primis omnis antiquitatis notitia resertum, eruditionis thesaurus, ac doctorum hominum deliciae; quod opus Romae compositum, editumque in Alexandri Cardinalis nomine, cuius in aula verlabatur, apparuit; Galenus (*) Graeco-Latinus, ad veterum librorum fidem restitutus ac notis illustratus; Variarum Lectionum Volumen; De ponderibus antiquorum; Praxis medicinalis, opus ingens, qua videlicet ratione ac methodo omnibus morborum generibus occurratur; consilia aegrotantibus per literas data, ac tria in volumina distributa; aliaque plura, admirabili eruditione studioque confecta, quae propterantibus nobis non est otium reserre. Neque felicior in scribendo, quam in morbis tollendis fuit. Neminem enim aegrotum curandum suscepit, quin amissam illi valetudinem recuperauerit; nisi si grauior esset morbus, quam ut eidem succurri humana ope atque arte posset. Cuius rei fama, in exteris nationes diuulgata, sumorum Principum studia commouit, ut in suis longis morbis periculosisque *Eius* operam magna mercede conducerent. In his Maximianus Imperator fuit, quem diutina atque lethali implicitum febri, facili atque explicita curatione ex ancipiti leuavit. Atque Ille in cognoscendis morborum causis tam peritus atque acer, non fuit in eo, quo demum sublatus est, ignorando, hebes ac tardus. Nam calculos, in rene latentes, duos, mortis sibi causam afferre, medicis

(*) Intelligendum hic esse sciamus Hippocratem supra memoratum, cum Galenum nunquam ediderit.

38 DE VITA MORIBVS MERITIS SCRIPTISQVE

cis audientibus, dixit, iussitque suum corpus, subsequuta morte, aperi-
riri ac renes incidi; quo facto, confessim calculi duo magni cum
minutis aliis pluribus sese in conspectum dedere, sicut ille praedi-
xerat: quos simul omnes, statera examinatos, ad drachmarum octin-
gentarum pondus peruenisse, qui oculis excepere, tradiderunt. Ille
vero, tanta animi aequitate atque constantia mortem obiuit, ut non
e vita discedere, sed ex una domo in aliam migrare videretur.
Quam illi fiduciam anteaetiae vitae dignitas et recte factorum con-
scientia dabat. Mortuo ciues sui statuam faciendam locauere; qui
honor habitus est ante ipsum nemini.

EIVSDEM
ELOGIVM
AVCTORE
LAVRENTIO CRASSO.

La Città di Forli sarà sempre di celebre ricordanza a' Posteri ne'
secoli futuri non meno per l' antichissima memoria, che ancor
si serba d' essere iui stato il Foro di Liuio; onde deriuò pofcia il
fuo Nome, che per effere stata Patria di *Girolamo Mercuriale* della
Dottrina di Ippocrate fedelissimo Chiusatore, anzi Ristoratore, e
gran Maestro de' loro leguaci. Esercitò con vgual fortuna, e fti-
mazione la Teorica, e la Prattica della Medicina, e amendue furon-
gli cagione di grossi emolumenti. Vscì dalla Patria per imparare,
dimorò fuor della Patria gran tempo per insegnare. Acquistò grido
per cagion d' alcuni accerrati configli, e se l' accrebbe col manifestar
ne gli scritti l' opinione intorna alla Medicina à voce spiegata. Lesse
con gran concorlo d' Vditori nello studio di Padoua più di vent' an-
ni, e dall' hauer fatto assai Discepoli insigni poteasi chiamar la sua
scuola seminario di Maestri, che fecondo l' Italia di peritissimi Me-
dici. Diede alle stampe gran numero di Trattati, in molti de'
quali ammiransi una ben coltivata eloquenza, e una scelta erudizio-
ne, le quali due cose accoppiate insieme, rendettero più plausibili
i suoi Libri. Nella sposizione d' Ippocrate parue, che volesse émen-
dere e correggere certe opinioni di alcuni Medici antichi, dilucidan-
do l' oscurità de Testi, riducendo à perfezione gli adulterati, e di
molti

molti de' moderni, e in queste sue fatiche non mancogli emulazione, e contrarii pareri. Gli vennero attribuiti non pochi atti di superbia, imperioche sostentando la sua Dottrina, spesse fiate dirsoleua, che l' allontanarsi da que' suoi. Assioni era vn manifestamente errare, e che rideua si di quegli insegnamenti appoggiasi più à sottiliezza d' argomenti, che à suffisenza di verità, e che non senza pregiudizio della salute del Publico praticarsi poteuano, che però molte di queste cose l' obbligauano à comparir nelle stampe. Passò in Roma; e diuenuto Medico del Cardinale Alessandro Farnese, iui compose l' opera intitolata, *de Arte Gymnastica*, libro scientifico, e curioso degno non solamente d' esser letto da Medici, ma anche da Professori di qualsivoglia scienza. Hebbe in ricompensa d' hauer consultata, e recuperata la salute all' Imperador Massimiliano secondo il Titolo di Conte, e Caualiere con molte espressioni di stima, che portarono il suo Nome all' ange della Gloria. Per dare all' affaticate membra riposo, e tradur gli ultimi giorni della vecchiezza lontano da travagli dell' assidua lettura nelle Cattedre, le quali illustrò delle più famose Accademie, dell' Italia, ritirossi *Girolamo* nella sua Patria, doue con godendo lunga pezza la meditata ritiratezza con la breuità della vita, da i momentanei volò à gli eterni riposi a' 13. di Novembre dell' anno 1596. (*)

EPIGRAMMATION FRANCISCI HVNNIADINI TRANSYLVANI.

Equa poli regio trifidi quisue angulus orbis
quodue laras terrae laudum est immune *tuarum*
MERCVRII facunde nepos? Iam gloria testes
deserit occasus, alioque renascitur orbe.
Te rhodani, rhenique cohors, te Sarmatis arctos
Te Seytha, te Mysus, Dacique Getique loquuntur,
certatimque *tuum* praescribere pagina nomen
arder, et ingenii monumenta propagat in aeuum.

Felix.

(*) Errorem hoc loco a *Craffo* commissum, supra iam indicauimus.

40 DE VITA ETC. HIERONYMI MERCVLIALIS.

Felix sorte tua, et gratis iam diues alumnis,
en operum series toto circumsonat Arcto.
Te Procerum coetus omnes, te purpura et omnis
Bibliotheca petit. Vultu tibi fauet amico
bellipotens populi pastor, tibi panditur omnis
regia. Seu natis, seu u nascientibus almam
aldis opem, te nascientes natique salutem
rise vocant, te aetas omnis, te sexus vterque
conditioque colit, puer hinc iuuenisque medelam,
grandaeuus quo viuat, habet, quo germinat infans.
Tu regum sceptris, aulisque infesta venena
arte fugans, mensis innoxia pocula misces,
Absistunt trepidae mortes, inuitaque Clotho
fila trahit, Lachesisque dolet sua pensa reuoluti.
Sponte sua saeuiae priuigna uenena nouercae
ebibit, impune inuisos non vlla clientes
fraus perimit, pascuntque suos aconita colonos.
O. hominum vitae, o communi nate saluti!
Non sic clara suum iactauit Pisa Toriantem
Illiustresue suo Rhodos, aurea sole Colosso.
Talis Appollinea prostrata gymnade Python
Poena renascentem exurus, vitaque, soloque
matriis onus pulsauit humum, sic Herculis hydra,
Hydra ferae Iunonis honos, face, cuspide, clava,
concidit, et matrem maculauit sanguine Lernam.
Ergo beata viris Positania sancta Senatu
excipe Phoebei tam noble munus alumnii.
Te geminae decorant claves, insignia clara,
panditur iis via virtutum, nunc tertia clavis,
qua vitae reseratur iter, quae seula recludit,
accessit. Gaudete patres queis dulcia curae
pignora, vos opus hoc pueri crescente inuenta,
nocturna versate manu, versate diurna:
Vestra salus agitur, primaeuo in limine vitae.
Hinc senium, hinc feri canos sperate nepotes.

ஓ 40 ஓ

Ula 1023

ULB Halle
002 627 817

3



n. C.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-179080-p0048-1

DFG




B.I.G.

Black

FRIDERICI BOERNERI

ARTIS SALVTARIS DOCT. IN ACADEMIA CAESAREA NAT.
CVRIOS. ET SOCIETATE DVCAL. TÉVTONICA
HELMSTADIENSI SODALIS

DE
VITA MORIBVS MERITIS
ET SCRIPTIS
HIERONYMI
MERCVRIALIS
FOROLIVIENSIS
COMMENTATIO



ACCESTIT

DVPLEX EIVSDEM ELOGIVM

ALTERVM

IAN. NIC. ERYTHRAEO

ALTERVM

LAVR. CRASSO

AVCTORIBVS

BRVNNSVIGAE

STANNO KEITELIANO

A. MDCL

